

DE MANDATO FACULTATIS SALUBERRIMÆ PARISIENSIS.

DOCTOR SAPIENTISSIME,

QUAM multis abhìnc ſœculis, tàm conſtantèr ac incorruptè ſervavit, atque, vel in minimis, fidelitèr huc uſque retinuit, diſciplinam verita conſeneſcere ac enervari Sal. Fac. Med. Par. per Schedulam, ut moris eſt, ad id convocata in Scholas ſuperiores & congregata, ſolenni Decreto ultimis Comitiis die 28ª Nov. an. 1744 habitis, lato, juſſit Articulum 8um novorum Statutorum inviolatum ſervari, ac ne quis ejus tenorem (ut aiunt) ignoratum prætexat, ſine morâ integrum Typis mandari atque ſingulis Doctoribus, me curante, quamprimùm diſtribui: & ſic ex unanimi omnium & ſingulorum voto concluſi. Cui legi ut obtemperem, hunc articulum totidem verbis expreſſum è Statutorum noſtrorum libro propriâ manu excerpſi.

ARTICULUS OCTAVUS

NOVORUM STATUTORUM CURIÆ PLACITO AN. 1696 FIRMATORUM.

DOCTORIBUS cum veſte talari & manicatâ, pileo quadrato, humerali coccino, & modeſto, qualis eſt togatorum, colli amictu, interiores inferiorum Scholarum Cancelli duntaxat pateant, atque hoc ornatu, Baccalaureorum Actibus ſedentes immorentur, de eorum Eruditione judicium laturi, ibidemque, in oblato Catalogo datâ ſubſcriptione, præſentiæ ſuæ teſtimonium exhibeant; alioquin ſi, in diebus Actuum, extrà laudatos aulæ interioris limites, inſcribendæ Syngraphæ copiam à Bidellis obtinuiſſe conſtet, illi jure ſuffragii priventur; hi verò plectentur pecuniæ ſummâ, ad arbitrium Facultatis.

Et tibi reddendum curavi Tui ſi quis unquam fuit obſervantiſſimus

G. J. DE L'EPINE, *Decanus.*